

### 13. Papa Pio II a Francoforte sul Meno.<sup>1</sup>

Mantova, 2 giugno 1459.

Pius PP. II. Dilecti filii salutem et apostolicam benedict. Credimus devotioni vestre notum iam esse, quemadmodum de mense octobris iam proxime elapsi intendentis quantum in nobis esset saluti fidelium contra perfidos Turcos paterne consulere indiximus in ka. iunii in civitate Mantue solemnem dietam principum et potentatum christianorum dispositi concedente Deo personaliter ibidem interesse, ad quam iam duce altissimo quinto ante hunc terminum die personaliter affuimus iter ingressi non sine magnis persone et rerum nostrarum incommodis. Siquidem etas nostra iam ingravescens quietem desiderat et patrimonium ecclesie pontificis presentia destitutum manifestis periculis quotidie subiacet; omnia hec tamen pro Deo magnificienda non duximus scientes fidelium populorum salutem et causam sacrosancte fidei catholice anteferendam esse cunctis laboribus atque periculis. Cum itaque communitatem vestram magnificecerimus semper illamque consilio et ope sua plurimum adiumenti afferre posse sciamus ad hoc nostrum propositum, hortamur devotionem vestram in domino et instanter requirimus ut sicut devoti apostolice sedis filii et bonorum operum zelatores velitis huc una cum ceteris oratores vestros transmittere mandatum tale afferentes, ut ipsam comunitatem super concludendis non sit necesse ex ipsa dieta quotidie consuli. Facietis in hoc Deo rem acceptabilem, nobis gratam et toti christiano populo salutarem, honori quoque vestro hac in parte laudabiliter consuletis, siquidem de fide catholica agitur pro qua et gloriosum est mori et labores suscipere christiano cuique debitum. Ipsos igitur vestros oratores unacum ceteris hic expectamus. Dat. Mantue sub anulo piscatoris die II iunii 1459 pontif. nostri anno primo.

Ja. Lucen.

[A tergo:] *Dilectis filiis et communitati civitatis Francfordien.*  
*Orig. Arch. civico a Francoforte s. /M. Reichsangelegenheiten*  
*Betreffendes Nr. 5107.*

### 14. Papa Pio II a re Carlo VII di Francia.<sup>2</sup>

Mantova, 8 giugno 1459

. . . Quare hortamur et rogamus tuam cels. ex corde ut posthabitis omnibus difficultatibus velis quam celerius fieri potest ad nos iam Mantue prestolantes oratores suos mittere et quidem ut paulo antea

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 48.

<sup>2</sup> Cfr. sopra p. 53.